

Omnibus presentes litteras inspecturis Saxo aduocatus ac communitas ciuium de Stokholm salutem in domino sempiternam. Quia geste rei noticia cum lapsu
temporis ab hominum memoria crebrius labitur nisi scripture testimonio veritas ad posteros transmittatur, ideo nos harum tenore litterarum tam ad
presencium quam futurorum volumus deducere noticiam quod Ragnhelf socrus Asmundi fabri ex parte vna et Haquinus dictus Galli procurator monasterii sancte
Clare ex parte altera iure ciuili ac legum terre quandam permutacionem fecerunt in nostra presencia in hunc modum. Dictus namque Haquinus tradi
dit eidem Ragnhelf et heredibus suis in possessionem curiam monasterii in Norraemalm valentem decem marchas tali tamen addita condicione quod qui
cumque eam ipsam inhabitauerint pro tempore censum ex eadem soluere teneantur monasterio prout de aliis areis ibidem exhibetur. Recepit autem a matrona eadem
pro curia ipsa duos solidos terre cum dimidio in parochia Marchem villa Viby cum omnibus eisdem in agris pratis siluis aquis pascuis seu
quibuscumque aliis attinentibus a monasterio perpetuo possidendos. Predictus insuper Haquinus emit a matrona ipsa dimidiam horam terre in eadem villa
pro sex marcis denariorum monasterio in possessionem sub omnibus condicionibus supradictis. Datis sibi super precium quatuor marcis denariorum racione fauoris seu doni
quod vilda vulgariter appellatur. Subscripti autem fuerunt byfasti et gardfasti in negocio supradicto videlicet Wlpho Speghel subfectus Hanze
Fan Hedhen magister burgensis Bothuidus Gyuridus Nicholaus gener monetarii Sildesuen Rykulphus Olauus Bunkeforth Jan Hwiti
Hanze Swarti Vinimar Thethmarus Colloniensis et Wibal Kramari. In cuius eciam rei euidenciam sigilla nostra presentibus sunt
apposita. Actum Stokholm anno domini M° CC° XC° VII sexto kalendas aprilis.